

P V I S



1 6 0 3









*Querela,*  
**DE MISERO**  
**STATV NOSTRI**  
*saeculi.*

*Autore*  
**ADAMO LAMPERTO**  
 Seruestensi.



**VVITEBERGÆ**  
 Excudebat Iohannes Schvvertel.  
 ANNO M. D. LXXV.

67.

*Ornatissimo Viro docto Jacobo à  
 Gen, Consuli seruestano etc.  
 Adfini suo carissimo.*









# ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, DOMI-

NO IOACHIMO ERNESTO, PRIN-

cipi Anhaltino, Comiti Ascaniæ, Domi-

no Seruestæ ac Bernburgi &c.

Adamus Lampertus S. D.

**M**agnam partem orbis Christiani fatali-  
bus pœnis duriter exerceri, & turbulen-  
tissimis tempestatibus affligi, palam  
testatur crudelis laniena & sanguinolenta perse-  
cutio Christianorum, quorum alii iam denuo  
multis in locis ob puræ ac synceræ doctrinæ con-  
fessionem & ex possessionibus suis eiekti & bonis  
omnibus exuti relegantur, & in exilium ire iu-  
bentur, alii verò ut heretici prorsusq; impii & in-  
cendio digni damnantur, & crudelissimo supplicii  
genere miserè trucidantur: Reliqui in carcere ca-  
ptiui detinentur, donec vel igni tradantur, vel pro-  
scripti exterminentur, vel ad reuocationem coa-  
cti à tyrannis dimittantur, ut interim taceam tot  
floquentissimorum imperiorum, prouinciarum, ar-

A 2 tium





tium & urbium horribiles deuastationes. Hic tibi  
causam omnium tantorum malorum sciscitanti  
ueniat in mentem, multiplicium scelerum nostro-  
rum multifaria coaceruatio, sunt enim calamita-  
tes nihil aliud, quàm nostrorum criminum et im-  
probitalis premia. His iram Dei prouocauimus,  
his grauem in nos vindictã accumulauimus, his  
etiã imputandũ esse nemo non intelligit, quod tan-  
tæ nostris temporibus exorta sunt calamitates, bel-  
la, fames, pestis, mutationes regnorum, magna dis-  
sidia dogmatum, & omnium rerum confusiones,  
Tales & his similes calamitates, seu potius iræ  
diuinae significationes, quotidie nascuntur plures,  
& aliæ post aliàs natae indies augescunt, propter  
delicta nostra, sicut dictum est: Omnes enim ab-  
errauimus, & ne unus quidem ex omni numero  
culpa vacat. Etsi autem hæc & id genus alia  
multa ex commissis nostris orta, piorum animis  
magnum metum ac stuporem afferunt. Non  
enim potest hæc res sine ingenti dolore cogitari: im-  
pendere tamen rebus omnibus propter infinitam  
discipline laxationem, confusionem multo maio-  
rem



rem certo certius est. Ah infelix & miserum sa-  
culum, tot aduersitatibus, tot periculorum procel-  
lis, tot deniq; ardentibus Satana telis expositum,  
praesertim in hac extrema ac delirante ruinosi  
mundi senecta, in qua quotidie omnia horribilio-  
ra se offerre incipiunt, propter immanem truculen-  
tiam, & rabiosam Diabulorum seuitiam, qui  
cum generi humano sint uehementer infesti, non  
desinunt nobis insidiari, immo ut pluribus cala-  
mitatibus nos inuoluant, omnia experiuntur, ni-  
hilq; intentatum relinquunt, estq; hoc eis unicum  
& perpetuum studium, ut rebus humanis gra-  
uem perniciem, & nobis Christianis extremum  
machinentur exitium. Iam quid boni in hoc re-  
rum statu expectandum sit, satis apparet. Acce-  
dit huc etiam, quod hoc periculosissimo ac uere  
ferreo tempore, uniuersa religio Christiana, gliscen-  
tibus ubiq; locorum tot ac tam diuersis nouo-  
rum dogmatum autoribus, adeo periclitatur, ut ex  
his malis vix emersura videatur, nisi Deus Ec-  
clesiae suae opem tulerit, & gubernatorum animos  
ad salutaria & pia consilia flexerit. Magistratus

A 3 enim





enim & eorum, qui Rempublicam gerunt, inter-  
est, ut huic malo idonea remedia adhibeant, & sa-  
na doctrina tutelam necessariam suscipiant. Quo-  
rum operam, conatus & studia hac in re, ut nobis  
diuina benignitas, magis magisque prospera velit  
esse, precor.

Has presentes & futuras Ecclesie & Reipub.  
calamitates, quoties mecum reputo (reputo autem  
sepius) ex animo doleo, & hic iustus dolor mihi  
hoc argumentum de miserabili statu Ecclesie &  
politiarum suppeditauit, & occasionem præbuit,  
ut obseruantes calamitates, & infinitas generis  
humani turbationes, hoc lugubri carmine deplora-  
rem, presentium ærumnarum mitigationem &  
culpa condonationem peterem, Deumque ardentib.  
votis & gemitibus rogarem, ut in tanta religionis  
Christiane confusione, monstrosarumque opinio-  
nem perplexa varietate Ecclesie sue opem ferat,  
eamque inter hos bellicos tumultus, & tantos furo-  
res ac fremitus Diaboli clementer seruet, tueatur,  
& omnia ingruentia pericula auertat, nosque mi-  
seros homunciones omni auxilio & subsidio hu-  
mano

buersantes

num



mano destitutos in hac ærumnosa temporum con-  
ditione, in tanta seuiicia, in tantis aduersariorum  
insidiis, ab istis tragicis periculis tandem liberet,  
custodiat, & in tranquillum statuatur. Atq; uti-  
nam optatæ rei exitus votis meis responderet: Sic  
enim rebus mortalium melius consultum duce-  
rem.

Dedi autem operam, ut poema hoc magis pi-  
um quàm elegans Celsitudini tuæ dicatum &  
typis impressum, tuo sub nomine prodiret, ut erga  
C. T. quaecunq; debita obseruantia & gratitudi-  
nis meæ velut publicum extaret testimonium.  
Spero T. C. quæ rei literariæ ac bonis ingeniis im-  
pense fauet, pro sua clementia probaturam hanc  
meam quantumuis exiguam operam. De-  
us seruet incolumem tuam C. Vite-  
bergæ ex officina chalco-  
graphica.

Anno salutis M. D. LXXV.





QVRELA,  
DE MISERO STATV  
NOSTRI SÆCVLI, CVI AD.

*dita est precatio ad Deum opt: max: pro di-  
uina piorum custodia.*

**E**Xpositum varijs genus est mortale periclis,  
Vnde dolore graui nemo metuq; caret.  
Aucta sed hūc duplicat cumulataq; pœna dolorē,  
Quæ delicta solet corpus vt vmbra sequi.  
Fertilis hinc seges est tantorum totq; malorum,  
Ledere quæ miseros nos sine fine solent.  
Adde quod innumeris obnoxia pectora curis  
Nostra dolent sibi, nec quo medeantur habent,  
Quisq; memor veteris sæcli præsentia damnat,  
Quod doleat semper quodq; queratur habet.  
Quid moror: ærumnis sunt omnia plena, beatum  
Dicere quod possis restat in orbe nihil.  
Omnia sunt hominum studijs aduersa, secundo  
Successuq; caret nunc homo, quicquid agit,  
Et, ne fortunæ spe prosperioris alamur  
Omnis languescit cum grauitate pudor,  
Nusq; tuta fides, imponit amicus amico,  
Cuncta dolo videas arte malaq; geri.

*Exulat*



Exulat heu nostris profugus dum candor ab oris,  
Versicolor toto regnat in orbe dolus.  
Ab nihil est sine fraude, locos dolus occupat omnes,  
Callidus est fucus nunc homo quicquid agit.  
Pressa iacet virtus, dominatur fœda libido,  
Iusticiæ est toto rarus in orbe locus.  
Scita Magistratus laudem violare meretur,  
Penè simul leges iurâq; spreta iacent.  
Aonijs hodie nulla est reuerentia Musis,  
Artibus ingenuis nullus habetur honor.  
Polluit & totum fucata calumnia mundum.  
Inficiens virus spargit ubiq; suum.  
Obruta cimmerijs Ecclesia mœsta tenebris,  
Amplius agnosci vix habet unde queat.  
Ni soror vt Phœbi radijs vicina silescit,  
Sic pia turba latens charior illa Deo est.  
Ah gemit, & vix vlla sui vestigia seruat,  
Pressa tot insidijs, fraudibus atq; dolis.  
Multi nescio quid de relligione loquentes,  
Derident ipsum cum pietate Deum.  
Hi tamen atroces iusto sub iudice pœnas  
Haud dubiè tanta pro leuitate dabunt.  
Quando simul tristes Erebi rapiuntur ad vmbas,  
Vt stygias pœnas quas meruere luant.  
O insanæ hominum mentes, quæ ledere diuos,  
Forsitan exiguum creditis esse nefas.

B

Discite



Discite sit quantum scelus, irreuerentia Diuum  
Discite, nam pietas summa timere Deum est.  
Impius & mergi dignus Phlegetonte sub imo est,  
Sacrilego quisquis prouocat ore Deum.  
Cætera quæ præsens incommoda protulit ætas,  
Plurima sunt versu nec referenda breui.  
Me tamen immodica verborum ambage remota  
Quod licet, ex multis pauca referre iuuat:  
Tristis et heu rimum miseris fors aspera ciues  
Duriter absq̃ vlllo fine modoq̃ premit.  
Crescit auariciæ rabies, pestisq̃ fameq̃,  
Grassantur cunetis bella cruenta locis.  
Omnia quassantes, Satana grassante, tumultus,  
Multiplicesq̃ dolos quis numerare queat?  
Omnia confundi, quis non videt? omnia casum  
Præmonstrare suum, nemo uegare potest.  
Concitat & turbat totum Mars improbus orbem,  
Corpora crudeli dantur vbiq̃ neci.  
Seuit vbiq̃ Satan, cui magna nocere voluptas,  
Semper is humanis gaudet ouatq̃ malis.  
Sæpè trucidantur sæuoq̃ fugantur ab hoste,  
Qui te sincero pectore Christe colunt.  
Talis (Crede mihi) ne quicquam more Gigantum  
Dimicat, in verum nam mouet arma Deum.  
Ipsius hic rabidum franget reprimetq̃ furorem,  
Afflicto populo subuenietq̃ suo.

Horri-



*Horribili donec crudelis morte Tyrannus  
Corruat, & meritis præmia digna ferat.  
O homo quæ rabies, quæ te stultissime, quæ te  
Pestis agit, prohibet quæ capis arma Deus.  
Stulte supercilio spernis cæleste superbo  
Numen, & innocuo membra cruore lauas.  
Heu frustra sæuis, meritas dabis impie pœnas,  
Non possunt tantum numina ferre scelus.  
Ah respisce miser fuso quid sanguine gaudes,  
Quid iuuat insontes ense necare viros?  
Irritare nimis, superosq; laceffere noli,  
Iratum grauis est res habuisse Deum.  
Magna Dei virtus est, magna potentia dextræ  
Diuinæ, haud superest, quem premit illa, diu.  
Obruit & miseros in flammea tartara voluit,  
Quos videt in superos bella mouere Deus.  
Sed quid opus verbis? facies tristissima rerum,  
Edocet heu misero quis sit in orbe status.  
Vulgus iners videas pecuinam ducere vitam  
Illius & iuuenes facta nefanda sequi.  
Turpia lasciuæ patiuntur stupra puellæ,  
Blandaq; corrumpit pectora casta, Venus.  
Fœdera legitimi pars maxima frangere lecti,  
Non scelus eximium, sed putat esse decus.  
Iam vim matronis, iam supra inferre puellis,  
Perpetua dignum laude putatur opus.*

*B 2*

*Dumq;*





Dumq̄ voluptates perituraq̄ gaudia captant,  
Nunc homines pecudum viuere more iuuat.  
Spernuntur monitus præceptaq̄ fida parentum,  
Dum cupit arbitrio viuere quisq̄ suo.  
In pueris nulla est capitis reuerentia cani,  
Afficitur nullo curuus honore senex.  
Singula, quid referam, culpa vitioq̄ laborat  
Quisq̄ suo, macula labeq̄ nemo caret.  
Rursus ad optatam properantia singula metam,  
Quis negat interitum significare suum.  
Squallidus & nudus laceratus & æger oberrat,  
Vixq̄, locum Christus quo requiescat, habet.  
Nulla magis cari superest dilectio fratris,  
Obrutus extremis sit licet ille malis.  
Copia cui rerum, nummisq̄ referta crumena,  
Paupere neglecto proximus ipse sibi est.  
Nemo inopem curat, nemo miseretur egeni,  
Quem poterunt lacrymæ fleclere, rarus erit.  
Lazarus ô quoties liuentia brachia tendens  
Ante domum frustra diuitis orat opem.  
Pectora sic superant cautes adamantaq̄ nostra  
Cautibus aut si quid durius esse potest.  
Fallor: an interitus ruituri metaq̄ mundi  
Imminet, & finis totius orbis erit.  
Triste malum certè cœlestia signa minantur,  
Ante pedes pœnas esse grauesq̄ docent.

Numinis



Numinis offensi dare signa videtur Olympus,  
Ostendunt iram terra fretumq; Dei.  
Nescio quid moneant funesto sidera vultu,  
Omen inest signis, nos pie Christe tege.  
Inter vt omniuoros animalia saeva leones  
Diuino Daniel numine tutus erat.  
Sicut & ex medijs integro corpore prunis,  
Auxiliante Deo tres abiere viri.  
Quos non ignis edax laesit, non flamma camini  
Absumpsit, (cunctis res celebranda modis)  
Inter mille minas hodie inter mille pericla  
Sic quoq; nos dextra Christe tuere tua.  
Nil opis humanae superest, spes omnis adempta,  
Vt tibi diffidant pectora penè facit.  
Ab nimis oppressos si tu nos deseris, actum est,  
Surge tuam petimus, ne pereamus, opem.  
Rumpe moras, & Christe pias admitte querelas,  
Christe faue, ab votis annue Christe pijs.  
Tristia te moueant lamenta precesq; tuorum,  
Quos toties audis flere, dolere, queri.  
Respice nos fidis, fid i patris instar, ocellis,  
Esse diu tutus te sine nemo potest.  
Rebus in afflictis si nos Deus ipse tueris  
Quid poterunt Satanae tela nocere pijs?  
Exaudi gemitus, exaudi vota piorum,  
Cultoresq; tuos assere care Deus.

B 3

Hos



*Hos quoq; certantes pro relligione gubernata,  
Nominis ut crescat lausq; decusq; tui.  
Ne pereat grex Christe tuus succurre roganti,  
Clamanti dextram porrige, ne pereat,  
Exiguum hunc cætum, qui te colit, ornat, adorat,  
Collige, pasce, foue, protege, flecte, rege,  
Tu populo delicta tuo patrata remitte,  
Quam poscit dubijs rebus & affer opem,  
Insidias Stygij rabiemq; auerte Draconis,  
Et prohibe varia quos struit arte dolos.  
Crudeles nimiumq; feros compesce Tyrannos,  
Perde resistentes fulmine perde viros.  
Opprime conatus hostiles, frange furores,  
Et procul hinc remoue, quicquid vbiq; nocet.  
Sic tibi perpetuas acturi hoc nomine grates,  
Ibimus in laudes hic & vbiq; tuas.*

*FINIS.*

*Laus Deo.*











Jf 4600

ULB Halle 3  
003 299 04X



sb.


1077












B.I.G.

Farbkarte #13

L.

49



*Querela,*  
**DE MISERO**  
*STATV NOSTRI*  
*seculi.*

*Autore*  
**ADAMO LAMPERTO**  
Seruestensi.



**VVITEBERGÆ**  
excudebat Iohannes Schvvertel.  
ANNO M. D. LXXV.

67.

*Ornatissimo Viro docto Jacobo a  
Gen, Consuli seruestano etc.  
Adfina suo carissimo.*

